

ORATIO

Dicenda ante perceptionem corporis et sanguinis Domini edita ab ANSELMO archiepiscopo.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex vo-
luntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mor-
tem tuam mundum vivificasti, adoro et veneror hoc
sanctum corpus tuum, et hunc sanctum sanguinem
tuum, quod traditum, et qui effusus est pro multis
in remissionem peccatorum. Deprecor clementiam
tuam, misericors Domine, per horum virtutem, fac
me unum de illis multis, et fac me haec sic sentire

A per fidem et affectum, ut sentiam ea per salutis ef-
fectum : et absolve et libera servos et ancillas tuas,
me et omnes qui mihi confessi sunt sua peccata,
et pro quibus promisi vel obnoxius sum orare, et
qui se sperant vel petunt meis orationibus apud te
juvari, ab omni peccato et poena peccati ; et fac
Ecclesiam nostram continua tua protectione et con-
solatione latari. Qui cum Deo Patre, etc.

IN SUBSEQUENTES VERSUS MONITUM.

(De Levis, *Anecdota sacra*, p. 33.)

In quodam codice membranaceo in formam quarti, ut vocant librarii, saeculi XIII, nobis oblato a fratribus Josepho et Jacobo Recyndis, qui plura jam edita continebat tum S. Bernardi Clarevallensis abbatis, cum S. Anselmi Cantuariensis episcopi, et aliorum, etc., inter quae hos paucos versus deprehendimus nondum editos, quos exscribentes luci damus.

S. ANSELMI

SALUTATIO AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Christi corpus ave, sancta de virgine natum,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.
Salve vera salus, via, vita redemptio mundi
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.

B Christi sanguis ave, coeli sanctissime potus,
Unda salutaris crimina nostra lavans.
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse
In cruce pendens unda salutaris ave.

SANCTI ANSELMI

HYMNI ET PSALTERIUM DE SANCTA VIRGINE MARIA.

303 Hymnus ad nocturnum.

Lux que laces in tenebris,
Ex alvo nata Virgini,
Nostram nocte nos exue,
Diemque tuum indue.
MARIA Dei thalamus,
Posce te venerantibus,
Virtutibus ut splendeant,
Quos reatus obtenebrant.
Gloria tibi Domine,
Nato de sancta Virgine,
Regnanti victo funere,
Cum Patre et sancto Spiritu.
Amen.

Ad laudes

Præfulgens sol justitiae,
Ortus de sacra Virgine,
Splendore tuo noxias
Nostras illustra tenebras.
Orientis castissima
Mater fac nobis, Domina,
Vita prorsus ut decidat
Vetus, nova proficiat.
Gloria tibi Domine, etc.

Ad primam.

O Christe proles Virginis,
Patris compar altissimi,

Per tuæ matris merita,

Dele nostra peccamina,
O mundo venerabilis,
Virgo mater mirabilis,
Maria plena gratia,
Ora pro nobis domina.
Gloria tibi Domine, etc.

Ad tertiam

Quem credimus ex Virgine
Natum, benigne Domine;
Sit nobis haec confessio,
Peccatorum remissio.
Quæ genuisti filium